

videtur, adducunt enim non nulli aliam speciē durationis, quam Morifanus l. c. q. 4. tempus discretum vocat, dicitur autem discretum, quia componitur ex diversis morulis, five momentis correspondentibus diversis operationibus Angelorum, intellectus scilicet & voluntatis: hæc igitur mora est indubiè duratio quædam, & tamen non est duratio ævi, quia talis actus sunt defectibiles, & sicuti incipiunt, ita iterum desinunt; Neq; dicendum durare eos tempore, nam tempus intelligitur de continuo, quia autem operationes Angelicæ, & etiam animæ nostræ rationalis sibi succedunt, unum tempus discretivum constituere dicuntur, quemadmodum plures unitates sibi succedentes numerum. **R.** Sicuti in istis durationibus est unitas quædam per aggregationem, adeoq; plures entitates, ita etiam esse plures durationes: tot igitur durationes importat tempus discretum, quot entia. Atq; hæc durationes seorsim sumtæ, sub tempore continentur.

Th. 22. Ejusdem propemodum farinae est dubium aliud diu satis agitatū inter Autores: an scilicet Visio beatifica Essentiæ Divinæ, in qua Sanctorum gloria consistit tempore l. ævo, l. æternitate fiat? Thomas 1. part. q. 10. a. 5. it. 3. contra Gentes c. 61. & 4. sent. d. 49. afferit, hanc visionem beatificam Æternitate mēsurari: Cui adstipulatur Anton Ruvio 4. Phys. tract. post. de Tempore n. 83. Scotus autem in 4. sent. dist. 49. q. 6. in responsione ad secundum dubium opinatur visionem beatificam Angeli mensurari ævo, perinde atq; ipsum esse Angeli. Pererius l. 12. de temp. c. 8. media videtur incedere viâ. Cujus controversiæ enodationem excludere videtur chartæ angustia, quare eam conflictui referabimus, ubi mentem nostram rogati aperiemus.

Th. 23. Quæ hætenus proposita sunt, communioris Æternitatis conceptus ergò allata fuerunt, quo obtento, DIFFERENTIA investiganda restat; quæ variè à variis explicari solet. Præstare autem eorum opinionem arbitramur, qui differentiam in eo collocant, quod æternitas careat utroque termino, ut æternum sit, quod principio caret, ut nec inceperit, & fine, ut nec desinat. Alii autem differentiam Æternitatis in eo quarunt, quod Æternitas sit duratio permanens, aliæ autem omnes ipsis dicuntur successivæ. Nos verò, ut modò dictum, iis subscribimus qui
 diffe-